

Qk 548,5

II u
905

ARTERIA
PULSAE HAEMORRHOIDVM
SIMPPLICISSIMA

ARTICULI MEDICINVM ORDINE
ALPHABETICO
PULSAE HAEMORRHOIDVM
SIMPPLICISSIMA

ARTICULI MEDICINVM ORDINE
ALPHABETICO
PULSAE HAEMORRHOIDVM
SIMPPLICISSIMA

ARTICULI MEDICINVM ORDINE
ALPHABETICO
PULSAE HAEMORRHOIDVM
SIMPPLICISSIMA



DISPV TATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE
ARTERIA
FONTE HAEMORRHOIDVM
LIMPIDISSIMO

Q V A M
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
GEORGIO AVGVSTO
LANGGVTH D

PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O. ET FAC. S
SENIORE

AD DIEM XXXI. AVGVSTI CIDI CCLXXIII
H. L. Q. C

PRO GRADV DOCTORIS
PVBLICO COMMILITONVM EXAMINI
PERMITTIT
IOANNES THEODORVS WACHTERVS
CIZENSIS
MEDICINAE CANDIDATVS

WITTENBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII ACAD. A TYPIS.



DISPUTATIO MEDICA INAVERTABILIS
DE
ARTERIA
FONTE HAEMORRHOIDVM
LIMPIDISSIMO

AVASTO
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
GEORGIO AVASTO

LANGGUTH D.
PATHOL ET CHIRVRG. P. P. ET FAC. S.
SENIOR


AD DIEM XEKL AVGVSTI MDCCCXXXIII
H. L. G.

PRO GRADV DOCTORIS
PVBLCO COMMITTONVM EXAMINI

IOANNES THEODORVS WACHTERVS

CANDIDATVS
MEDICINAE CANDIDATVS

LEKTOR CAROL CHRISTIAN DEBEL ACAD. A. T. P. S.



V I R O
EXCELLENTISSIMO IVRISCONSULTISSIMO
AMPLISSIMO
IOANNI CHRISTIANO
SCHERZERO

REVERENDI CAPITVLI NVMBVRGBENSIS SYNDICO
LONGE MERITISSIMO NEC NON PRAEFECTO
IVRI DICVNDI IN AGRO ECKELSTADIENSI
DIGNISSIMO

P A T R O N O

SVMMA PIETATE AC REVERENTIA COLENDO
DISPVATIONEM HANC INAVGVRALEM

S

V I R O

EXCELLENTISSIMO IVRISCONSULTISSIMO

AMPLISSIMO

IOANNI CHRISTIANO

SCHERZRO

REVERENDI CAPITULI HAMBURGENSIS SYNDICI

LONGE MERITISSIMO NEC NON PRACTICO

IVRI DICENDO IN AGRO FERRESTADENSIS

DIGNISSIMO

P A T R O N O

SYMMA FIDELITATE AC REVERENTIA COLENDO

DISSERTATIONEM HANC IN AUCTORITATE

V I R
EXCELLENTISSIME IVRISCONSVL
TISSIME AMPLISSIME
PATRONE MAXIME VENERANDE



quod aliis saepe euenire solet, vt, cui libellum eius
modi academicum inscribant, diu haesitent, id
mihî ad constituendum fuit facillimum. Quis
enim mihî poterat citius in mentem venire, quam
TV, VIR EXCELLENTISSIME, cui
vel propter paternum inde a pueritia erga me
amorem, mallet, vel ob singularia in me collata beneficia praecipue
deberem, hoc quaecunque industriae meae monumentum consecrare.
Illud modo optauerim, vt eas haberet virtutes, quibus TVAE do-
ctrinae, subtilitati et elegantiae, probaretur, ne tempus, quod grauio-
ribus

ribus *TVIS* negotiis detractum ei legendo impenderis, perditum existimares, atque me, quod scriptum parum *TE* dignum obtulisset, accusares audaciae cuiusdam ac temeritatis. Etenim id, dum *TE* mihi apud animum propono, hoc est, doctrinam *TVAM* cum acerrimo ingenio coniunctam, vereri me oportet, nec in consilio huius libelli *TIBI* dicandi manerem, nisi *TVA* me humanitas, quam pluribus aliis ex rebus perspectam habeo, ab hoc omni metu ac dubitatione liberaret. Illa igitur sola fretus nisi ad *TE*, *VIR EXCELLENTISSIME*, hunc libellum, animi mei, pietatis erga *TE* ac reuerentia plenissimi interpretem. Quem ut humaniter ac benevole accipias, atque me et impostertum patrocinio *TVO*, et amore, ut facis, paterno digneris, summa, qua possum, contentione et obseruantia, rogo. Precor Deum Optimum Maximum, ut praeter ceteras felicitatis humanae partes, laboribus *TVIS* et consiliis felicissimos successus atque euentus annuat.

NOMINI TVO EXCELLENTISSIMO

Scripti,
Wittebergae, d. XXXI Augusti
c 1710 CCLXXIII.

deuotissimus cultor

IC. THEODORVS WACHTER.



Q. D. B. V

ARTERIA FONS HAEMORRHOIDVM
LIMPIDISSIMVS



§. I.



anguinem, igitur, quum ora Venarum Sedis non patula per suam ipsarum naturam, vt nuper vicimus, fundere non possint; non etenim

In caput alta suum labentur ab aequore retro

Flumina, — — nec

Omnia naturae praepostera legibus ibunt:

aliam tentare Venam non nocebit, quae fontem magis limpium ac perennem nobis aperiat, salientem scilicet illum, tentandam pollice, Venam. Quae quidem, suo dicenda nomine, Arteria, iam ex eo plurimum commendationis videretur adepta, quod, sibi contraria, Vena rationibus, maximam partem improbabili-

A 2

bus,



bus, suffulciatur, et tanquam excaecata refederit. ^{a)} Posses utri-
que hunc cum NASONE titulum non male imponere:

*Hic fontes natura novos emisit, at illic
Clausit.*

§. II.

Ipsam, fatemur, naturam noui huius fontis auctorem esse, qui Haemorrhoidas sanguineum per Arterias sedis profluuium finimus; Venas, contra, ab eadem natura clausas excaecatasque, dimittimus. Quid riuulos enim hosce venosos, pigros nimium operoseque deducendos, adhuc consectemur, vbi ex perenni illa scaturigine Arteriosa purpureum nostrum laticem tam expedire, tam pleno continuoque alueo, profluere cernimus, vt vbique naturae simplicitatem ac parsimoniam cum admiratione, cum liquidissima voluptate, possimus agnoscere? Quid? quod ipsae Haemorrhoides hoc nobis officium videntur imponere. Habent nimirum suum prorsus nomen, proprium suum vocabulum, quo sanguinis significatur fluxus, placidus, sine molestia, sine dolore, fereque sine sensu, quasi secundum naturam et cum *ἐν Φορῆ*, contingens. Dicitur enim *ἀπὸ τῆ ἀμαρτος καὶ ἕξειν*, fluere, vt in vulgum est notum; suoque modo cum menstruo feminarum fluxu comparari potest, quem haud dissimiliter *ῥοον γυναικῶν, ἐστὸν*, sique nimius fuerit, *ῥοον ἀματωδῶν*, HIPPOCRATES ^{b)} adpellauit. Quo ipso quidem, si quid iudicamus, a limine statim monemur, vt ab hoc nostro, naturae non ita repugnante, affectu, statum illum congenerem, sed

^{a)} Vide sis Dissertatiunculas nostras quatuor, de *Haemorrhoidibus* subcisiue editas.

^{b)} de *Morb. Mul.* LXIII. seqq. et de *Morbis I. Sect. III. conf. FOESIVM* voc. *ῥόος*, plura loca proferentem.

sed naturae magis aduersantem et praeternaturalem, rite distinguamus, nec Haemorrhoidas, pacate, stisque fluentes temporibus, cum Haemorrhagiis, cum vehementiori et plurimum noxia sanguinis ex vasis arrosis, erosis ruptisque, effusione ac eruptione, confundamus, vtpote quae, vi etiam vocis, (namque *ἀπὸ τῆς αἵματος καὶ ἐκ γῆρας*, frangere, perrumpere, descendit,) cum partium integritate et sine valetudinis dispendio, consistere non potest; quemadmodum eiusmodi *αἰμορροαγίαν*, impetuosam ac copiosam sanguinis ex ruptis Venarum varicibus, effusionem, HIPPOCRATES ^{c)} *φλεβορροαγίην* significantius nuncupat. Tanto vero minus consentaneum erit, Haemorrhoidas hodieque ex Venis violenter fractis virulenterque erosis, operose arcessere, quum plerique omnes spontaneas narium, aliarumque partium, haemorrhagias, vt postea videbimus, quin ipsum mensium periodicum profluuium, ex dilatatis relaxatisue Arteriarum osculis, nunc summa cum probabilitate deriuare soleamus. Quas sanguinis, criticas saepe, eruptiones, potiori iure Haemorrhoidas, ^{d)} seu, ad vitandam ambiguitatem, Haemorrhoidas, non Haemorrhagias, posses, imo deberes, vocare, nostras autem Haemorrhoides nunquam in Haemorrhagias transfigurare.

§. III.

Nouos autem hos fontes Arteriosos, a natura emissos, laudamus, sane non eo nomine, tanquam a nobismet ipsis nouissime repertos effoscosque, sed quia eosdem pro merito ac dignitate

A 3

^{c)} de Rat. Viti. in Ac. Sect. LVI. ad quem locum GALENVS, Commentar. IV. addit: *φλεβορροαγίην μὲν λέγει τὴν ἕξιν τῶν φλεβῶν.*

^{d)} Ipsius exemplo HIPPOCR. VI FOESIVS variis ex locis conficit; quin et ipsius Sacri Codicis, Matth. IX. 20. cuius *γυνὴ αἰμορροῦσα* ex haemorrhagia vteri RICH. MEAD, in Medicis Sacris, c. XI. videtur laborasse.



tate sua parcius frequentari celebrarique videmus. Equidem non defuerunt, qui hoc solum, vt ita dicamus, fontibus scaterere non viderint; et, quod maxime mireris, ante ipsam etiam inuentum, luculenterque descriptum, Sanguinis Circuitum. A Venis simul cum Arteriis Haemorrhoidas fieri, iam REALD. COLYMBVS,^{e)} et IAC. HOLLERIVS^{f)}, tradiderunt; Venisque his Arterias Haemorrhoidales quasi socias additas, praestantissimum nempe Anatomicorum *avtoritas* demonstratas, GEORG. CYNELIVS^{g)}, commemorat; quos, tanquam antesignanos, deinceps bene multi, SVLTZBERGERVS,^{h)} MOEBIVS,ⁱ⁾ ROLFINCIVS,^{k)} FRIDERICHVS,^{l)} SCHENCKIVS,^{m)} MICH. ETTMÜLLERVS,ⁿ⁾ b. RIVINVS meus,^{o)} sequuti sunt, ipso FR. HOFFMANNO^{p)} et I. H. SCHVLZIO^{q)} non profus dissentientibus. Plura tamen manifestioris signa fauoris, ab eo tempore, Arteriis dederunt multi clari in arte viri, simulque receptam de Venosis Haemorrhoidibus doctrinam reliquerunt. *Pro Venis*, secundum METZGERVM,^{r)} *veterum auctoritas ubique militat; contra, Arterias leges circuli sanguinis defendunt; hasque, addit, ubi secundum naturam et moderatus hic fluxus fiat, praecipue occupatas esse omnino crediderim.* Eadem eodem tempore sensit FVNCIVS,^{s)} *propriissime, scribens, cuiuscmodi esse Sanguinis per Arterias Haemorrhoidales,*

- e) de *Re Anat.* l. VII. f) de *Morb. Intern.* I. 55. g) de *Haemorrh.* Lips. 1591. h) de *Haemorrh.* Lips. 1628. i) de *Haemorrhag.* Ien. 1652. k) *Diff. Anat.* V. 15. l) de *Haemorrh. inmod.* Lips. 1658. m) de *Haemorrhag. nar.* Ien. 1668. n) *Opp.* II. I. p. 142. o) de *Haemopt.* *Diff. Med.* p. 332. p) in *Medic. Rat. System. et Pathol. Spec. de Haemorrhagiis.* q) in *Path. Spec. de Haemorrhag. et Disp. de Apoplexia ab Haemorrhoid. Suppress.* r) de *Haemorrhoid. Statu f. et p. Nat.* Tubing. 1677. s) de *Haemorrhoid. nim. coniu. et caec.* Altd. 1677.



dales, ad podicem in Recti intestini extremum desinentes, effusionem; eisdemque potius per Arterias fieri, quam per Venas. Ex nostro propioribus seculo GEORG. FRANCVS^t) praesertim, et I. G. BERGERVS^u), vterque nostra decora, Arteriis vnice acceptum contenderunt Haemorrhoidale profluvium, causamque interiorum Haemorrhoidum, et Haemorrhagiarum aliarum, in apertas Arterias, contra peruulgatam sententiam, contulerunt. Quibus ex recentissimis nunc I. A. WEDELIVM^x), SANTORINVM^y) HAMBERGERVM^z) GVLLICHIVM^a) TRALLESIVM^b) SCHMIEDELIVM^c) SWIETENIVM^d), multosque ante alios et primo loco iure laudandum, SAM. SCHAARSCHMIDIVM^e) in societatem adiungas.

§. IV.

Sed, quum non tam auctorum, in disputando, quam rationum, momenta quaerenda sint, age, quae argumenta pro Arteriis maxime videantur militare, praesenti hac opella scrutemur, hocque sine, primum laudati MOX SCHAARSCHMIDII, Amici quondam nostri integerrimi, simplicisque veritatis amici cultoris, quocum ante haec septem, et quod excurrit, lustra, Berolini Anatomiae et Chirurgiae nauantes operam, etiam de controuerso hoc argumento amicos saepius miscuimus sermones, sententiam de Haemorrhoidibus Arteriosis commentemur; no-

uis

^t) *Satyr. Med. Diff. de Haemorrhoid.* p. 431. ^u) *Diff. de Inflammatione,* Wittenb. 1695. §. 6. ^x) *Disp. de Haemorrh.* len. 1727.

^y) *Opusc. Medic. III. de Haemorrhoid.* BAGLIVI *Opp. sub. fin. adiectis.* ^z) *Praelect. Semiot.* in LOMMIUM Vol. I. p. 386.

^a) *Disp. de Furor. Haem. Intern.* Lugd. Bat. 1733. ^b) *de Opio* II. p. 40. ^c) *de Variet. Vasor.* Erlang. 1744. ^d) *Com-*

mentar. II. p. m. 333. et passim. ^e) *In den Medic. und Chirurg. Nachrichten,* Vol. I. p. 144. und *Anweisung zum Stud. Medic. Chirurg.* T. II. p. 101. feqq.



uis deinde illam, hinc inde apud recentissimos Auctores dispersis, obseruationibus et rationibus confirmemus; et nouissime tandem, quam frugifera illa sit, ad hypotheseos dignitatem, paucis intellectam, euecta, doctrina, experiamur.

§. V.

Praemissis nonnullis, satis quidem communibus, de definitione Haemorrhoidum nominali, de differentiis fluidarum ac caecarum, internarum et externarum, descriptisque vasis arteriosis et venosis, internis aequae ac externis, naturam Haemorrhoidum fluentium, spontaneorum scilicet et periodicarum, mox sequente definitione SCHAARSCHMIDIVS declarat, eiusque capita, Philosophorum more, idoneis argumentis firmat, et magnam sic ipsi probabilitatem conciliat. Haemorrhoides igitur fluentes Ipsi sunt sanguineum per Sedem profluuium, ab ultimis et capillaribus Arteriarum intestini Recti oriundum extremitatibus, quae, secundum naturam, sanguinem nec vehant, nec fundant, ab eo tamen, praeter naturam nimium abundante, vehementiusque moto, sic dilatentur, vt referatis illum osculis dimittant. Praecipuam causam in Vena ponit Haemorrhoidali interna, vario modo sic affecta, quo minus sanguinem rite libereque possit ad cor reducere; siue, quod ista Vena valvulis, praecipuo redeuntis sanguinis adiumento, destituta sit; siue quod sanguis, sua impeditus grauitate, difficilius sursum feratur; siue, quod aliae praeternaturales causae subinde accedant, truncum Venae sic comprimentes, dolentiusue constringentes, quo minus eius extremitates Haemorrhoidales sanguinem, per iunctas sibi Arterias continenter affluentem, excipere queant, adeoque plus satis iam turgidae eumdem sic repellant, vt hac via exclusus, subsistere in continua Arteria interna, distendere illam paulatim, et nouis copiis vndisque perpetim irruentibus, per referata tandem vltimarum extremitatum ostiola, eidem secundum naturam non patentia, per-



perumpere cogatur. Quae quidem omnia ad Venam Arteriamque externam suo modo facile adcommodari possint, si forte per eandem, integram, tantumque dilatam, quod rarius tamen contingat, sincerus sanguis stato tempore profluat. Quominus vero huic suae doctrinae controversia ab eo moueri queat, quod Venae tamen internae, copioso sanguine turgidae ac factae, post fata hominum, ex nimis haemorrhoidibus peremptorum, saepenumero fuerint inuentae; ad huius modi obiectionem sic respondet, vt in suos potius vsus eandem, vt iam vidimus, conuertat, praetereaue recte vrgeat, neque sic quidem aduersantes sibi, quod velint quaerantque, impetrare sibi posse: Venarum enim internarum extrema cum arteriis internis, earumque extremis, continua esse, quodque quodam quasi artis termino dicitur, inuicem inosculari; quo prouidetur, ut venas in Intestinum Rectum patulas non hiare, nihil igitur, nec sanguinis, nec alius cuiusdam humoris, in Sedis cavitatem posse effundere. Cui tandem accedat, per regulas hydraulicas ipsiusque Circulationis Sanguinis, fieri non posse, vt per patentia etiam ac referata Venarum ora quid feratur, quum sanguis per Venas reducendus, vbi subsistat, ad extrema dilabi nequeat, sed truncos Venarum potius distendere debeat, saepeque propterea ipsas Venas varicosas reddat, rumpatque. En! fontem Haemorrhoidum, sanguinis per Arterias Sedis Internas periodice fluentis, opinor, satis limpidum.

§. 6.

Hic non inanis, credimus, nec Lectoribus plerisque ingrata, sumetur opera, si quidem ea, quae iam ante a nobis dicta ac praemissa fuerunt, in summam contracta hic repetamus, et cum nunc dicendis coniungamus: solum enim et fundamentum constituendae rei nostrae sunt, et ad ea promtius intelligenda, quae iam nunc proposita sunt, omnino facient. Duplex vasorum, sanguinem vehentium, nunc nobis post HARVAEI seculum,

B

lum,



lum, genus est: Alterum, sanguinis dicatum fluxui, quo vitalis hic latex cum suis, ex se fecernendis secretisque, humoribus, a corde, tanquam ab inexhausto perennique fonte, partes in omnes corporis, magna virtute, iugiter propellitur ac distribuitur; Alterum, refluxui sanguinis et humorum est destinatum, atque adeo, quidquid in conseruandam partium corporis integritatem non consumtum, aut alia qua via corpori suffectum, est, colligit, et ad communem scaturiginem, ad cor, pacate taciteque reducit. Pro his, tam diuersis, vereque sibi oppositis, officiis, suum cuique nomen recte attributum est, quo audito statim intelligatur, quodnam quodque nobis beneficium praestet. Arteria, ergo, prius princepsque vas, vocatur; huiusque comes indiuidua, Vena dicitur. Sed olim, vt ita dicamus, non erat sic, non modo comparatum eodem. Quum enim res ipsa, sanguinis nimirum itus reditusque, hoc est, Circuitus, per gemina ista, contraria sibi, coniunctissima tamen, vasa, omnem antiquitatem Physicam ac Medicam, ad vsque HARVAEI, hecatombe dignissimum, inuentum, tam abdite latuerit, vt magna eius pars diuino huic, vere ad oculos demonstrato, inuento fidem tamen tantum non omnem recusaret, non ita sane conueniet mirari, aut commune Venarum, *Φλεβῶν*, nomen vtrisque his vasis promiscue tum tributum, aut vocibus tamen Arteriae^{f)} ac Venae longe alium, et a nostro longissime distantem, alligatum fuisse sensum. De sanguinis itaque sinceri per Arterias, secundum aut praeter naturam, motu secessuque, eo tempore ne cogitari quidem poterat, solis Venis sanguinem condentibus, promentibusque;

f) Vide sis FOESII *Oeconom.* HIPPOCR. voc. *ἀσθητή*, quae Hippocrati simpliciter aspera arteria dicta est; quo argumento motus *III.* HALLERVS *Physiol.* T. I. p. 54. omnes illos libros, Hippocrati adscriptos, pro supposititiis habendos iudicat, in quibus arteriae nomen, alio sensu vsurpatum, occurrat.



que; quodque adeo consequitur, omnis Haemorrhagia tum temporis solam Venam fontem agnoscebat suam, nec per aliam quam viam, quam per Venas sedis, Sanguis Haemorrhoidalis, quod *CELVSVS* fecit, deduci poterat.

§. VII.

Quanto magis nos, rectiora edocti, omnem illam, alias venerandae nobis, antiquitatis auctoritatem, siue potius incuitabilem sua ex doctrina errorem, missam tandem facere, et suum cuique, quod fas et iura iubent, nomen officiumque tribuere ac munire debemus! Non loquendum, certe, cum antiquis est, ubi cum illis non est sentiendum. Suntque sua Venis officia, sunt iisdem, tanquam bonis condis, eius modi assignata ministeria, quae non in dando atque profundendo, sed in accipiendo, consistunt, et retinendo; quare etiam in oscula, quibus, quod continent, dimittant, patulae non sunt; quare tanto minus, in sua ac vniuersae oeconomiae animalis pericula et damna, violenter erunt patefaciendae. Sed de meritis, contra, et laudibus Arteriarum nihil quoque quidquam detrahendum est, earumdemque circuli temere turbandi non sunt. Sunt illae, ut iucundam illam et probe opportunam similitudinem vsurpare pergamus, boni promi, qui, quidquid sincerum et laudabile, quidquid conseruandae nostrae integritati aptum est, improbo labore, summa fide ac aequitate, continenter parant, custodiunt, promunt atque distribuunt; imo vero, quidquid superfluum corruptumque, naturae igitur nostrae molestum, inimicum, nociturum, fuerit, id omne prouide segregant, mature, ac tacite saepe, sine magno tumultu strepituque, sinibus suis arcent, emittunt, fortiter quoque non numquam eiiciunt. Quos in fines caeca utique non esse potuit, sed omnino in plurima discurrere ora debuit, Arteria.

B 2

§. VIII.

§) de *Re Med.* VI. 18. VII. 30.



§. VIII.

Atque duobus hisce fulcris, Circulatione Sanguinis et patentibus Arteriarum extremitatibus, tam valide innituntur Haemorrhoides Arteriosae, quam Venosae legibus vtriusque repugnant. Inest sanguis in vtroque Vasorum genere; mouetur virtute cordis in vtroque, hac tamen, in qua cardo rei praesentis vertitur, differentia, vt idem, ad Arteriarum extrema Venarumque confinia, fortiter renitentia, propellatur, adeoque descendat; a Venis, contra, non renitentibus placide excipitur, moxque, superato vnionis puncto, auctaque statim diametro, ascendere in illis versus cor incipiat, et, quod consequitur, in accedentia deinceps earum extrema, contra motum sibi impressum cursantque, versus cor determinatum, agere ac ruere non possit. A sanguine, igitur, omnique humorum genere, nimium abundante, fortius commoto congestoque, ab iisdemque nimium ebullientibus ac resolutis, ad excretionem sic paratissimis et ad euacuationem properantibus, *δερματις* Graece vocatur, vltima et capillaria Arteriarum extrema, cum primis iam debilitata ac relaxata, facile subeuntur, amplius dilatantur, sique motus fuerit impetuosior, etiam rumpuntur: contra ea autem ab omni hoc sanguinis tumultu ac impetu, quin etiam ab ipsa truncorum obstructione aut compressione, Venarum extrema permanent immunia et otiosa; tanto minus dilatari vmquam, nec, nisi alia violentior causa intercefferit, destrui ac perrumpi poterunt. Primum hoc fulcrum nobilissimum est et validissimum, quod nullo nouo firmamento ac roboris augmento indigeat.

§. IX.

Alterum crus seu fulcrum, quo doctrina de Haemorrhoidibus Arteriosis sustentatur, et magna eidem conciliatur probabilitas, patula Arteriarum, qua parte in Venas non aperiuntur, secun-

secundum naturam extrema sunt vascula, quorum iuncta licet lumina maximam earum ad cor diametrum exsuperant, sanguinem tamen, aliis ex causis cogere ac retinere possunt, dum aliis tenuioribus humoribus vaporibusque transitum concedunt; praeterea vero ad iuuandum sanguinis introitum in angustissimos tubulos, patentissima esse debent. Pori nimirum Arteriosi, seu vascula exhalantia, ex hoc genere maxime cognita ac conspicua sunt, quae, certis conditionibus, praeter naturam dilatari, irruenti sanguini transitum dare, et fontes Haemorrhoidibus satis irriguos aperire, possunt. Contrarium in Venis, ut iam dictum, obtinet. Earum vltima et capillaria extrema, cum Arteriis non copulata, integra nimirum, tantum abest, ut aliquid ex corpore emittant ac exhalent, ut potius bibula sint, et in corporis aequae superficie, ac eius in cauis, hiantia, tenuissimos et vaporosos humores resorbeant et inhalent; quare etiam Pori Venosi et vascula nuncupantur inhalantia. Eorum officium turbari subinde quidem, fistique, non autem sic inuerti, potest, ut ordo naturae omnino peruertatur, sanguisque, relictis vicinis poris Arteriosis, iisque apertis, poros potius Venosos perat, eosdemque non modo non praetereat, sed tamquam impetuose irruens, laceret ac rumpat.

§. X.

Huic tamen fulcro, roboris non nihil, et quoddam quasi sustentaculum, commode poterit adiungi. Patent Arteriae, earumque extremitates, ore non simplici, non exhalante tantum vasculo, sed plurima aperiuntur in ostiola. Plena eorum et accurata historia nos donauit *III. HALLERVS* ^{b)} quam, hoc loco consuluisse iuuabit. Missos facimus primos principesque earum fines, quibus continuas in Venas abeunt, adeoque hoc loco, sine laesione, vulnere aut ruptura, aperiri non possunt. Nec

B 3

poros

^{b)} *Physiol.* T. I. p. 35. 91. seqq.



poros illos, qui ex cauea Arteriarum per omnem earum longitudinem in telae cellulosae, illas vbique ambientis, cauernulas, breuissimo itinere aperiantur, adipisque secretioni pulchre feruere videantur, nunc morari, et in rem nostram aduocare, possumus; licet horum ductuum excretoriorum vsus, in natura ac origine Haemorrhoidarum, externarum, maxime caecarum, inflammatarum, tumentium, turgentium, et tumorum varicosorum, ficuum, condylomatum, declaranda magni habendus momenti sit. Cum primis vero nostram attentionem in re praesenti sibi postulant, Ductus varii generis excretorii, Vascula exhalantia, Villi tenuissimi, Vasa lymphatica, Arteriaeque non rubrae, seu rubris minores; quae omnia vasculorum ac pororum genera, sicut ab Arteriis nascuntur, extremitates earum patentes demonstrant, saepe magnam sanguinis vim, per loca insuetissima, per aures, oculos, pulmones, ventriculum, renes, vesicam, mammas, digitos, cutem, e. s. p. effundunt ac exsudant, nimiam sanguinis copiam imminuunt, eius congestiones dissipant, sibi tamen nouas vias non parant, non Arterias, aut, si vis, Venas, per rodunt rumpuntque; sed, quas angustiores offendunt vias, referant vnice ac dilatant; siquidem coniuncta et subsequens sanitatis restitutio, et integra valetudo, demonstrat, solitaque congruentis liquoris secretio, post breuem errorem, succedit, nullis fluxus huius sanguinei, saepe periodici, in partibus tam diuersis, relictis vestigiis: ita sane numerosiores nobis fontes in intestina quoque aperiunt, ex quibus Haemorrhoides, large et periodice, cum bonis, eas patientium, rebus fluentes deriuemus, patentissimas Arteriolarum extremitates.

§. XI.

Quo plures vero Arteriae intestina crassa et Rectum cum primis adeunt, eo numerosiores quoque Haemorrhoidum fontes aperiiri debere, qui hactenus a nobis non discessit, facillimus conce-

concedet. Princeps earum utique est Haemorrhoidalis interna, quam b. Amicus noster solam hic excitat, utpote quae in cauo intestini Recti myriadibus pororum et cryptarum, a RVVSCHIOⁱ⁾ nitidissime pictarum, terminatur. His plures alias, easque non minimas quidem, Ill. HALLERVS^{k)} in societatem dat, frequentesque earum anastomoses vna adducit; ad quem fontem abeant, quibus gratus bibere fuerit volupe. Nouis igitur istae priores myriades pororum augebuntur myriadibus; tantoque intelligetur facilius, sicut ad reliqua intestina, sic ad Rectum quoque, copiosissimos humores, tenuiores serosos, pinguiores etiam atque mucosos, ferri, perennesque in illo succedere sibi debere exhalationum, inhalationumque, vicissitudines. *Sudant*, ut ore HALLERI^{l)} loquamur, *omnes in corpore humano membranae de invisibilibus poris vaporem, quem frequentissime de intestinorum etiam calente superficie, fumi modo surgere, tot in canicidiis vidimus; qui etiam absterfus rediit, nouisque guttulis membranas suas irrorauit. Inde, alio loco^{m)} addit, illae enormes iacturae humorum, quae in dysenteria ad intestina deponuntur; inde denique non mirum, in eas omnes vias, sanguinem pariter non raro succedere.*

§. XII.

Sed, quem ad modum istae Arteriolarum extremitates, perperuis his humorum blandissimorum fluminibus peruiuae feruantur et patentissimae, itemque tenerrimae earum tunicae emolliuntur, fouenturque: sic ipsae etiam istae Arteriolae, Venis a se oriundis simillimae, tenuissimaeque, tanto magis tractabiles redduntur et dilatabiles, quod non per substantiam densiorem feruntur, profunde delitescunt, tendineis non coercentur membranis, sed potius

ⁱ⁾ *Thef. Anat.* VII. Tab. III. fig. 4. *Epistol.* XI. Tab. XII. fig. I.

^{k)} *Physiol.* T. VII. p. 158. conf. *Pract.* BOERH. T. I. p. 547.

^{l)} *laudati Oper.* T. I. p. 103. seqq. ^{m)} *ibid.* T. VII. p. 165.



per tunicas teneriores, per telas cellulosas, per villorum lanu-
gines, per vndique circumfusi adipis fomentum, adrepentes, mol-
lissime fulciuntur, iisdemque ex causis nec facile comprimuntur,
nec crebrius irritantur atque constringuntur. Laxae ad-
modum membranae pituitariae, vt hoc exemplo vtamur, spon-
taneae illae, frequentissimaeque, Narium Haemorrhagiae seu
Haemorrhoeae, vnanimi consensu, inter facias causas, adscri-
buntur. Menstrua quoque illa ex vtero profluua, Arteriarum
extremitatibus, tenuissima tectis membranula, blandoque humore
continenter fosis, eodem modo tribuuntur. Nihil igitur caus-
sae cogitari praetexique poterit, quare in nostras Sedis Arteriolas,
viasque, iisdem positis, plethorae, congestionis, orgasmis, dis-
solutionis humorum, conditionibus, sanguis eadem facilitate suc-
cedere nec soleat, nec debeat; quare his in oris nullus errori
locus concedendus sit. Quid vero multa! Innumeris et fide
dignissimis exemplis, eius modi pertinacia negantium, dubitan-
tiumue, coerceri retundique potest. Plura, vtilissima opera, HAL-
LERVS²⁾ congestit. Potentissima sunt, quae sequuntur: *De-
inde, ait, in omnes has vias pariter sanguis, etiam omnibus integris,
cumque bonis aegri rebus, saepe effunditur, ex quacunque causa, quae
noua ostiola non facit, sed antiqua et natia vnice dilatat. In Lie-
nosis sanguis ad decem libras per secessum et vomitum cum leuamine,
aut omnino cum perfecta aegri restitutione, prodit.^{o)} Sanguinis flori-
di librae duodecim et quatuordecim egestae per anum, intra vicesimam et
quartam horam cum bonis aegri rebus.^{p)} Salutares diarrhoeae sanguineae,
et etiam tunc absque vasorum ruptione, quando corpus inde contabescit.²⁾*

§. XIII.

Itaque de eo amplius sobrio corde dubitari vix poterit, Ar-
terias nostras Haemorrhoidales cum suis Arteriolearum extremitatibus,

²⁾ l. c. T. I. p. 105. ^{o)} ex MARC. DONAT. Hist. Med. mir. IV. 9.

^{p)} SPENDLER, Obf. 44. ²⁾ RHOD. Cent. X. Obf. 85.

ratibus, adeo dilatabiles naturaque patulas, copioso, impetuoseque irruenti, sanguini, aditum tandem transitumque debere concedere. Id quod eo promptius adhuc fiet, si humores sanguisque nimium dissoluti, si viscidum, seu glutinosum illud nativum, quo vasa intus obducta sunt, et transituro cruori obex ponitur, sublatum et tanquam elutriatum; *) si cursus sanguinis saepe iam multumque ad ima haec loca, minus resistencia, iamque plus satis patentia, inuitatus et determinatus, fuerit; quod innumeris propemodum caussis occasionalibus, modisque; ut fieri omnino potest, sic frequentissime etiam fieri solet. Sunt nimirum Haemorrhoides Sedis de genere Haemorrhagiarum, seu Haemorrhoiarum; quo statim intelligitur, plurimas caussas utrisque esse debere communes. Sed hae, si spontaneae sunt, et criticae et periodicae, a plethora, congestionibus, orgasmo sanguinis, a nimia eius dissolutione, mouentur, sanguisque, vno omnium ore ac consensu, per Arterias, integras, non erosas, non ruptas, pristinam potius diametrum roburque, cessante caussa, facile

*) de SAVVAGES *Nosolog. Meth.* T. II. p. 283. In viribus, quibus sanguis intra vasa coerceatur, praeter eorum integritatem et clausuram, ipsius sanguinis viscositatem habet, deque ea sequentia notat: *Viscositas nativa est maxima, parum a Medicis perspecta; sed, si decies eluantur vasa et viscera, aqua purissima continuo renouata, vltima lotura etiam viscida est, ut ex saponem dissoluto viscidior non sit; haec visciditas robustis, sanguineis, maior; debilibus, cachecticis, minor; in quibusdam morbis, putridis, malignis, minima; ea sublata quid obstat, quo minus cruor vasa secretoria subeat, ut experimenta docent fieri in pulmonibus, satis elotis, ut sudor sanguineus et Hepatirrhoea suadent.* Non admodum dissentiunt, quae HALLERVS *Physiol.* T. I. p. 35. et 38. de Secretione adipis annotauit: *Ex cauea Arteriarum per vniuersam longitudinem breues pori in cellulosas caavernulas aperiuntur; — Verum in sano animale adipis materies est in proximo.*



facile recuperantes, profluit. Quid est igitur, quare easdem causas, Haemorrhoidibus eiendis minus sufficientes iudicemus? quare easdem causas idem effectus hic non sequatur? Viae adsunt innumerae, non iniuae, sola dilatatione, *ἀναστομίσεις*, aperiundae, patentissimae. Quid iniuas, quid caecas, quaeramus, vias! Quare transfusiones, erosiones, rupturas, in subsidium aduocemus, auxiliatrices copias, longe omni Haemorrhoidum aegritudine terribiliores, omnem machinam nostram citius destructuras, ac ad imam tandem sedem pertingere possint! *) Fuerunt non pauci omni tempore, qui fluxum Haemorrhoidalem cum menstruo feminarum fluxu comparandum censerent, et, nisi omnino pro naturali haberent, proxime tamen eundem ad naturalem statum accedere contenderent. Eadem scilicet utrobique adsunt, secundum et praeter naturam, *Φαινόμενα*. Arteriosae saltem Haemorrhoides propius ad naturam, eiusque simplicitatem, accedunt; tam male igitur, ac Venosae, metuendae non sunt. Imo vero, facilius longe auerti, possunt, et aequius tolerari, et sine magno remediorum apparatu, omnino curari.

§. XIV.

Diximus, fluxum Haemorrhoidalem nunc longe commodius ac aptius cum menstruo feminarum ex utero profluvio comparari posse, quum quoad causas, modum, effectusque, plurima ostendant communia, nec raro quoque uterque fluxus eodem tempore, eademque in femina, copulatus, alternusque, obseruetur. Et, quamuis illum omnino naturalem laudare non sustineamus, eundem tamen ad hanc naturalem feminarum

ex

*) Hoc argumentum in dissertatione nostra, de Vena, fonte Haemorrhoidum non satis limpidi, §. XII. seq. aliquanto plenius persequuti sumus, istasque *διαπήδησεις, τρώσεις, θλάσεις, διάβρωσεις* atque *ἐκζέσεις*, damnosae, abominandae, ostendimus.

ex vtero sanguinis excretionem proxime accedere, multa cum probabilitate afferendum ducimus. Quo minus enim omnino naturales haberi Haemorrhoides possint, inter alia ex eo conficitur, quod dispositione naturali, quae in feminis multiplex et manifesta sit, sanguineum per sedem profluuium careat. ¹⁾ Est tamen quaedam videntur nobis, quae veluti in vicem huius dispositionis naturalis succedant, istamque differentiam magnopere imminuant. Retulit Auctor noster, quod plerique omnes faciunt, Haemorrhoides ad Haemorrhagias in vniuersum, easdemque post plethoram a congestionibus frequentissime oriri docuit. Qua in re pollicem ipsi lubentissimi premimus. In differentiis morborum, quae dicuntur accidentales, Congruui et Incongrui morbi locum non postremum occupant. *Illi, vocantur, qui certis aetatibus, temperamento, sexui, anni temporibus, conuenientes et familiares sunt; incongrui vero adpellantur, si plane hisce non respondeant.* ²⁾ Haemorrhoides itaque virili ac consistenti aetati eam ob causam maxime congruentes, salutares ergo, habentur, imo quoque obseruantur, quia sic dictae congestiones sanguinis, procedente aetate, versus viscera ventris, relictis capite ac pectore, manifesto inclinentur. Hinc est enim, quam ob rem Haemorrhagiae Narium puerili aetati, Haemoptyses, ipse etiam cruentus Vomitus, iuuenili magis, et, pro Sexus diuersitate, pubescenti praesertim, aetati, et Haemorrhoides denique succedentes, virili, aetati, exactis potissimum septem viuendo lustris, congruentia molimina, crises, atque excretiones, dici laudarique soleant. Causa tamen, vt nihil dissimulemus, plurimum in abditis et occultis adhuc latet.

C 2

§. XV.

¹⁾ conf. Progr. nostrum de *Dispositione ad Haemorrhoides naturali omnino nulla.*

²⁾ vid. FR. HOFFMANN *Diff. de Morbis Incongruis.*

Ad naturalem illam feminarum purgationem menstruam quod attinet, eius quidem causa nunc expedita satis atque manifesta iudicatur. *) Quem ad modum enim partium, generis humani propagationi feruientium, natura omnisque fabrica, dispositionem vteri ad plethoram illam particularem, facile nobis ostendit, nec finis eius nobis ignoratur: sic eodem modo intelligimus, maiorem sanguinis in vniuerso corpore copiam, motum eius paullo incitaiorem, et maiorem denique ad vterum sanguinis congestionem et adfluxum, ad haec prolicienda flumina purpurea, requiri. Primum principemque motorem horum moliminum atque congestionum, paruulos occulti alicuius desiderii igniculos, oestrique stimulos venerei, non facile admiserim; interea tamen intentiores in hanc sibi imminentem, saepe admodum optatam, eruptionem, vitaeque rosam, cogitationes, cum lautioris vitae, otiique irritamenti coniunctae, symbolas quasdam conferre posse, perfracte non negauerim. Quanta enim vis sit cogitationum mentis, in rem aliquam, gratam, ingratham, continenter directarum, et quantum consuetudinis in nos imperium ac tyrannis, vt sensu quisque suo facile didicit, et non numquam cum indignatione exper-

*) HALLERVS *Physiol.* VII. p. 161. *Laudanda hic est industria CLIFTONI WINTRINGHAMI, archiatri, qui primus hoc naturae arcantum reuelauit. Nulla enim sanguinis in femina congestio oriretur, neque is sexus a virili dissentiret, si feminarum venae, perinde, vt arteriae, virilibus debiliores essent. Impellerent mollius arteriae, sed facilius venae reciperent et resisterent minus.* Hac tamen non obstante differentia, profluua sedis sanguinea cum illis ex vtero non ita raro copulantur; et venae portarum viriles, tories ex hypothese in Haemorrhoidariis obturatae, roboris feminini defectum facile supplebunt, sanguinis adfluxum remorantes, et ad Arteriarum extrema determinantes.

expertus est, sic consuetudinem non immerito alteram vulgo naturam vocari, obuium vbique tritumque est. Eodem modo congestiones fieri Haemorrhoidales, et molimina ad eas excitari ac sustentari, posse, vt non modo profluuia sequantur sanguinea, sed vt stato quoque tempore, et menstruis redeant interuallis, *) adeoque naturalem artificiali ac voluntaria dispositione suppleri, hoc ipsum et menstrua sic dicta virilia, 'luculenter probant, et obseruatio BOERHAAVII singularis, cum festiuo problemate, pulchre illustrat et confirmat.

§. XVI.

Docuerat nimirum BOERHAAVIUS²⁾ ex eo, quod in virgine sana plus conficiatur humorum, quodque facilius illi in vasa, iam semel dilatata, deponantur, ire, redire, vario in variis tempore, menstrua; hancque, naturae consentaneam doctrinam, pro suis copiis, ingenio et facundia, sic deinceps ex cathedra exornabat: *Feminae dantur, in quibus menses ad horologium redeunt, adeo accurate obseruant tempora. In aliis incertiora sunt tempora, uti variae circumstantiae exegerint, et diuersae vitae ratio. Neque adeo mirabile videtur, si secundum certam regulam menses redierint. Nam etiam virili corpori, per artem, menstruam plethoram conciliare noui. Aliquando homines ex capite dolent; Medicus iubet sanguinem miti; leuantur: sed post quatuor forte septimanas malum redit. Sanguis determinatur iterum ad capitis arterias, et dolorem facit; qui repetitae venaessectioni iterum cedit, quam ego quidem non valde probo. Verum, repullulat viuax malum post duos menses, et repetita venaessectione denique plethora ita ad caput determinatur, vt statim*

C 3

*) Numerosa exempla Menstruationis in Maribus compilauit SCHVRI-
GIVS in *Parthenologia*, Cap. IV. et nonnulla alia adiecit HALLERVS
in *Prael.* BOERH. T. V. P. II. p. 69. et MEDICVS *Period. Krankh.* I. 171.

2) *Prael.* T. V. P. II. p. 68.



redeat vicibus, nisi malum radicitus extirpatum fuerit. Hic Leidæ mercator viuit, vir honestus, cui sanguis omni mense per Arteriam Haemorrhoidalem maiori copia, quam vlli senissimæ feminae per uterum, fluit, nempe ad integram libram, et obseruat periodos ad horam. Hac eadem ratione viros quoscunque effeminare liceret. — Adparet adeo, corpus humanum quando aliquoties per eandem viam sanguine se depleuit, consuetudinem indui, qua fiat, vt statis temporibus eadem pars sanguine obruatur. Quo plus sanguinis fuerit, quod effunditur, eo plus etiam in eandem partem redibit, si sanitas integra manserit, et bona chyli viscera.

§. XVII.

Possimus hanc obseruationem, rariorem vtiq;e, alia, magis communi, frequentiq;e, confirmare, atque adeo in nostros magis vsus conuertere. Quid venaesectione, quæ vocatur, prophylactica nunc est vulgatus? Initio, in flore ætatis, sine multa necessitate, venam nobis, iterum atque semel pertundi curamus; nosque ex hac sanguinis iactura mirum quantum leuatos iactitamus. Sequentibus annis, sacratum sanguinis ventilationi tempus vix satis quieti expectare possumus; festinantius itaque vena, ter, quater, per annum secanda ridenti chirurgo porrigitur. Sed multo breuius inde sentimus solatium; paruum admodum reperimus ægritudini nostræ leuationem. Quid multa, viuimus fere, vt sanguinem possimus profundere; totiesque istæ iterantur venaesectiones, vt vix locus a capite ad calcem sine cicatrice sit, quo noua nobis dentur vulnera. Sic non modo in dies sanguinis copia augetur, et corporis moles cum suis molestiis crescit, sed præterea etiam cursus sanguinis a reliquo corpore reflectitur, et in venas tot vulneribus ictas, dirigitur et determinatur. Sunt, qui de dolore quodam circa hæc loca obtuso, de lassitudine, de pondere aliquo, lacertorum maxime, pedumque, conqueruntur. Vidiq;e aliquando in femina confi-

consistentis aetatis, solidi et succi pleni corporis, exercitae tamen vitae, et parviorum propter innumeras venaesectiones mensium, Venas brachiorum circa solita fundendi sanguinis tempora, terque quaterque per annum, in varices dolorosas, subcaerulei, pene nigricantis, coloris, ad usque rupturam exfurgere, quibus visis de necessitate monebatur, sanguinis festinandi, imo anhelandi, profusionem.

§. XVIII.

Sic longa pravaque consuetudine congruentes veluti vivendi generi morbos, congestiones, ipsas adeo Haemorrhoidas, sine qua haereditaria labe, sine qua nativa dispositione, parare nobis possumus, ter et amplius felices, si benignissimis, si per Arterias fluentibus, castigamur, multamur, Haemorrhoidibus. Sed vulnera dicimus, non dantur ad mensuram. Et menses quoque feminarum, illud naturale sanguinis profluuium, saepe multumque ab innumeris causis, cum lerna malorum, turbantur, sistuntur, in damnosas funestasque vteri Haemorrhagias degenerant. Nae eadem fata Haemorrhoidas, non prorsus naturales, manebunt! Manebunt eadem; nam in plerisque, ut vidimus, sanguinea ista flumina consentiunt. Ex iisdem fere causis, ex plethora, ex congestione, ex sanguinis orgasmo, quandoque etiam ex nimia eius dissolutione, nascuntur, fouentur, cientur; ex iisdem hi fontes venis propullulant; per eosdem canaliculos, per Arterias, sed integras, non scissas ruptasque, non foeda post se relinquentes ulcera, profluunt; non igitur, ad regulam si vivitur, ad regulam si diriguntur, a regula facile aberrant. Tuo sapientissimo imperio corpus tuum subiectum est.

— — *Tunc omnia iure tenebis,*
Quum poteris rex esse tui,

§. XIX.

Solet sexus amabilis, pro sua elegantia, menstruam suam purgationem, pudibundo ore, naturam suam, suum naturae ordinem, Regulas suas, appellitare; et castissima hac fluxus veterini, citra necessitatem non nominandi, denominatione, semetipsum non tacitus admonet, viuendum sibi etiam esse castissime, ut natura suas, a se sancitas, leges, regulas suas, seruare commode ac sequi possit. Etiam Haemorrhoidas, secundum Celsum,^{a)} purgationem magis habere decet, quam morbum; primumque est, fluentes rite hoc loco esse intelligendas. Quo efficitur, has, naturam imitantes, purgationes, has sanguinis, nimium abundantis, euacuationes, suis quoque regulis regi debere ac dirigi. Quas omnes hoc loco plenius persequi ut non possumus, sic tanto minus operae pretium erit, quae alia occasione^{b)} non parce fuere proposita, repetere, cauendumque erit potius, ne nauaeae molestiam Lectores suscipiant. Paucissima tantum, eaque cum re nostra coniunctissima, tanquam in complementum, adiiciamus, sique delicatum nostrum fastidium hoc ferre potest, inculcemus. Initio ab omni Venaesectione, cum primis in primo aetatis flore, diligentissime nos ablineamus, tamque viuamus sobrie, ut ista purgatione, sicuti priora secula, carere facile possimus. Sique, pro morborum indole, ad eam, tanquam ad sacram anchoram, semel iterumque confugiendum fuerit, eidem deinceps, ad auerendos morbos, nos, sine multa deliberatione, non affuescamus. Tot mensium a regulis suis aberrationes, ex his Venarum fontibus, nimis festinanter apertis, omnino proueniunt. Nec minus quoque sexus noster causas plus quam sufficientes habet, qua re hos vitae fontes, circa yrgentissimam necessitatem,

^{a)} l. VI. 18. 9.

^{b)} in Dissp. nostr. de Mortib. Repentin. Seniorib. Annis parcius, Iuuenilibus potissimum, imputandis.

tem, sibi exhauriri non permittat. Si venae nostrae, quod probabiliter disputatum mox vidimus, femininis vere debiliores sunt, tanto magis augendam hoc modo caueamus plethoram, quae corporis molem vna cum multis molestiis auget, et fontes Haemorrhoidibus, non tantum Arteriosis benignisque, sed omni reliquae Haemorrhoidum, suis a regulis desfectentium, turbae ac furori aperit. Prima, quam studiosissime sequamur, regula esto: Claude os, et, Aperi oculos. Post Plethoram Congestiones, quod dicitur, cane peius et angue vitandae sunt; quibus nos ipsos maxime obnoxios reddimus, vbi stimulis naturalibus artificiales addimus, illosque sic paulatim obtundimus. Ex natura feminarum sanguinis Congestiones fiunt ad vterum, fontem menstrui profluvii satis vberem ac limpidum; sed a lautiori vita, ab otio, a venereis cupidinibus, tanquam stimulis artificialibus, nimiae congestiones, saepe vteri inundationes, inuitantur et prouocantur, atque hoc modo naturae leges ac regulae vt migrantur, sic turbantur; et minus sobriae, cumque formae dignitate ingenii verecundiam et corporis castimoniam non copulantes, grauissimis morbis, dirissimis cruciatibus ac furoribus, inextinguendis vteri, saepe quoque sedis, haemorrhagiis, plectuntur: Saepe

Vna eademque via sanguisque animusque sequuntur.

Eosdem pati manes nos debemus, qui naturae, eiusque regulis, conuenienter viuere nolumus. Iisdem aliisque innumeris modis sanguinis cursum ad sedem, partesque vicinas, dirigimus atque determinamus; et frustra saepe repugnante natura, hos non naturae, sed ingenio, sed nostro viuendi generi, congruentes morbos nobis paramus, fontes Haemorrhoidibus, non prorsus naturales atque genuinos, aperimus. Quid mirum, si tandem, tanquam effeminati, feminarum in modum, menstruis vexamur,

D

mur,



mur, exhaurimur, purgationibus. Quid mirum, si turbatis maxime moliminibus, si repressis Haemorrhoidibus, flumina illa coercita latius exspatiantur, partesque debiliores perimpunt, aut, fontibus nimium apertis vitam simul cum sanguine profundunt. Qui scyllas has charybdesque euitabunt; qui, tanquam reges, animo moderabuntur, affectibus imperabunt; qui ebullienti sanguini ignem subducent; hi suavius omnino videntur, his salientibus purpureis vndis sibi non additis; his fontibus, Arteriosis etiam, obturatis, sanguinemque suum vitam suis naturalibus alveis vnice riteque ducentibus; hi denique, sui omnino iuris erunt; hi ad naturae regulas, ad rationis normam, vitam omnem dirigent; his tandem non inclamandum erit:

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones;

Vt te ipsum serues, non expergisceris? Atqui,


Si noles sanus, cures hydropicus.

§. XX.

Haec sunt potissima illa argumenta, quibus adoptatae a nobis, de Haemorrhoidibus Arteriosis, hypothesei, maiorem aliquem probabilitatis gradum conciliare tentauimus; quaeque hac demum opella proponere coniuncta licuit, postquam scilicet eidem nostris dissertatiunculis, de *Dispositione ad haemorrhoides naturali omnino nulla*; de *Haemorrhoidibus morbo coeco*; de *Vena, fonte haemorrhoidum non satis limpido*; deque *Haemorrhoidum venosarum vindicatione*; tanquam proluseramus. Sanguis, nimirum, stato tempore, citra sanitatis dispendium, per sedem profluens, aut per *Venas*, feratur, necessitas est, aut per *Arterias*. Sed, per *Venas*, ferri non potest, quia, secundum aeternas Circuitus leges, per *Venas* acrius a partibus ad Cor, huius ipsius virtute, redu-

reducitur, non igitur pondere aut grauitate sua earum in extrema nititur; isteque praeterea nifus in caeca haec extrema, non igitur dilatatione patefacienda, inanis foret irritusque; transfusio, autem, erosio ac ruptura, integras Venas destruerent, et malis multo maioribus occasionem praeberent: Relinquitur ergo, vt per *Arterias* decliuēs, solito secundum naturam cursu, a corde nimirum, illius ipsius virtute, ad partes adducatur, perque hos, natura patentes, aut motu solo auctiore satis dilatandos, alueos, exitum molliatur, cumque leuamento, sine vlla partium offensione, statis temporibus rite profluat. Hypothesis igitur de Haemorrhoidibus *Arteriosis*, opposita de *Venosis*, multo videtur probabilior; imo vero, si sine iactantia addi hoc potest, est omnino longe probabilissima.

Quid verum atque decens, curo et rogo; et amnis in hoc sum.



reducunt; non igitur pondere aut gravitate sua continentur ex
maioribus; istudque praesertim dicitur nec existit non igitur
in illatione patet, ista sunt ista; namque
dicitur autem, quod de rebus, ista sunt ista; dicitur
ista multa metibus occasionalibus praesertim. Huiusmodi
ergo, ut per ista dicitur, ista sunt ista; dicitur
a corde mirum, illud ista sunt ista; dicitur
que ista sunt ista; dicitur, autem non ista sunt ista; dicitur
istud ista sunt ista; dicitur, autem ista sunt ista; dicitur
efficitur, ista sunt ista; dicitur, autem ista sunt ista; dicitur
de ista ista sunt ista; dicitur, autem ista sunt ista; dicitur
ut probabile; ista sunt ista; dicitur, autem ista sunt ista; dicitur
omnino longe probabilissima.

Quid istum ad ista dicitur, ista sunt ista; dicitur, autem ista sunt ista; dicitur.



X 2374512

mi



akt. Tu 905

DISPV TATIO MEDICA INAVGV RALIS

DE

ARTERIA
FONTE HAEMORRHOIDVM
LIMPIDISSIMO

Q V A M

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
P R A E S I D E

GEORGIO AVGVSTO
LANGGUTH D

PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O. ET FAC. S
S E N I O R E

AD DIEM XXXI. AVGVSTI CIDIOCCLXXIII

H. L. Q. C

PRO GRADV DOCTORIS
PVBLICO COMMILITONVM EXAMINI

P E R M I T T I T

IOANNES THEODORVS WACHTERVS

C I Z E N S I S

MEDICINAE CANDIDATVS

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII ACAD. A TYPIS.

